

dè, sed moderatiùs renovare, & Curam deinceps felici successu absolvere potuerit. Cuiusmodi exempla plura & casus, tam Religiosorum quàm Secularium utriusque sexûs commemorare possem.

CAPUT X.

De Dieta tam Potantibus quàm Balneantibus observanda.

Oportet calorem observare.

Bene vestitum esse.

Frigidum aërem vitare,

Pluviam, Æstium Solis.

*Quoad victum culinæ adseesce-
re.*

I. QUANDOQUIDEM ex superioribus notum est, calorem durante Thermarum Fabariensium usu valdè proficuum, & frigus omni studio evitandum esse, idcirco cum in hoc Thermarum loco Aër valde subtilis, penetrans, & frigidus sit, oportet Ægros curam suscipientes Vestimentis pelliceis & crassioribus instructos esse, non admodum in libero aëre præsertim sub vesperam exspatiari, ne exinde habitus corporis intempestivè refrigeretur, & valetudinis damna subsequantur, quemadmodum hoc variis Matronis aliquando prædixi, quæ etiam me verum vatem expertæ sunt, nempe quod aura frigidior in summo gradu nociva existeret. Perinde humiditas, pluvia, humectatio corporis, ventus, quin etiam æstus Solis effugienda sunt omni industriâ, præsertim in abitu.

II. Quòd Victum attinet, in loco Thermarum non opus est valdè præceptis, quia ibi ad scopum Curationis omnia sunt instituta, a quo ut sufficiat se Culinis thermalibus accommodare